



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 125. Pacis articuli Papam inter, & Ciamontium Marescallum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

amicitiam penitus sublatum iri, eidem Sæcul. XVI.
A. C. 1510. declarabat, si Sedi Apostolicæ vim inferre pergeret. Ergo Ciamontius cunctis hisce rationibus expugnatus, bidui inducias pactus est, quo interea tempore sequentes instruebantur articuli.

§. CXXV.

Pacis articuli Papam inter, & Ciamontium Marescallum.

I. Tollantur omnes censuræ, dein semestres induciæ inter Sedem Apostolicam, & Ferrariæ Ducem fanciantur. II. Anathemate liberentur Bentivolii, eisque bona, quæ, ipso Papa fatente, ipsorum essent, reddantur; quoad reliqua vero, quæ, priusquam Bononia excessissent, possederant, tribunalia haud suspecta eligere, eisdem permittatur, item, plena præteritorum oblivio illis integra fide concedatur, comprehensis omnibus, qui vel directam, vel indirectam Bentivoliis opem tulissent, etiamsi Papæ subditi forent, eisque integrum sit, in quacunque eis placuerit, Italiæ parte commorari, dummodo saltem octoginta miliaribus Bononia distarent. III. Urbs Mutinensis Imperatori depositi loco tradatur, ac durantibus induciis utraque pars arbitros nominet, qui Comaciensem litem ultima sententia dirimerent. IV. Papa circa

ca

Sæcul. XVI ca Venetos Cameracense foedus exequatur. A.C. 1510 V. Ludovico XII. Cotignola reddatur, eidemque ad cuncta beneficia, in Italiae statu sita, nominatio concedatur. VI. Cardinalis Auxitanus libertati restituatur, Cosentinus vero, Sanseverinas, Sanctæ Crucis, Bajocensis, Macloviensis Cardinales, in Pontificis gratiam recipiantur.

§. CXXVI.

Ciamontius foedere a Papa proposito delusus.

*Raynald. hoc
ann. n. 23.*

Hosce articulos Pico Mirandulanus ad Julium detulit, qui præter morem suum illos sereno admodum vultu perlegit, quid tamen decerneret, suspensus hæsit, cum ecce! opportune adveniunt Hispanorum copiae, simulque Venetorum exercitum appropinquare, jamque Padum trajecisse nunciatur. Gemino hoc nuncio Papa summopere lætus, ut melius animi sui propositum tegeret, primo articulos a Pico allatos penitus non rejecit, sed ad Ciamontium denuo quosdam ablegavit, qui articulos duntaxat mitigari peterent; hac via Julius moras quærere, nequereque statuit, usque dum Marscalli furorem pari armorum potentia eludere posset. Ciamontius aut incurius, aut dolum subesse haud suspicatus, Pa-
pæ